

nino autem in sententia nostra id necessarium est, quia veritatem istam esse determinatam probamus ex vi contradictionis exigentis, ut è duabus propositionibus de futuro contingenti altera sit determinatè vera. Et ita hæc ipsa vis contradictionis exigentis determinationem talis veritatis, exigit & efficit similiter determinationem voluntatis pro tali veritate complenda. Atque hinc maximè patet, quàm periculosior sit Scylla, in quam inciditur, Charybdi quæ putatur & tentatur vitanda. Nam ut eventuum futurorum contingentia illæsa maneat, negamus voluntatem determinari ad tales eventus per ulla Divina decreta ipsam quocumque pacto prævenientia; & postmodum admittimus voluntatem determinari ad eventus contingentes per vim contradictionis quæ est inter propositiones contradictorias de futuro contingenti.

Etenim si hæc vis contradictionis influit ad determinandam voluntatem, multò inviçtius illam determinat, quàm quodvis decretum prædeterminans, ob id nempe quòd illa vis ex hoc uno, quòd est vis contradictionis, longè insuperabilior est vi cuiusvis talis decreti. Præterquamquòd potest decretum attemperari cum voluntate: vis autem illa contradictoria est omnis temperamenti hæc in re profus incapax. Et ideo illa vel nihil influit in veritatem determinatam futurorum eventuum contingentium, vel per illam disperditur tota futurorum istorum contingentia. Sicque ruit id, quod à nobis primò susceptum est probandum de veritate alterius propositionis è duabus contradictoriis de futuro contingenti determinata per vim contradictionis, quæ inter illas est.

Respondeo veritatem, de qua sermo est, pendere quidem à principio libero adhuc indeterminato, sed de quo nihilominus jam determinatè verum est, quòd in hanc, aut illam partem determinabitur. Quia enim aliquando determinatè verum erit, ut verbi gratià supponitur, Paulum orare, jam quoque determinatè verum est, quòd Paulus sese ad orandum determinabit: & ita quidem determinatè id verum est, ut id tam necesse sit, quàm impossibile sit Paulum aliquando orare simul, & non orare. Sed nihilominus talis necessitas nullatenus obstabit contingentia determinationis, quam Paulus arripiet ad orandum, quia non est necessitas, nisi ex suppositione, insuperabilis quidem ex vi sua, sed non ex vi sua in voluntatem transmissa, quam utique nullatenus aut prævenit, aut afficit, aut inclinat, sed relinquit sibi ipsi totam.

est major vi cupivis decreti; & ideo vis illa multò magis contrariatur notioni libertatis.

LXXI.

Est autem major vis illa, quia magis, quàm omne decretum, est incapax omnis temperamenti.

LXXII.

Dico jam vim istius contradictionis nihil omnino influere in voluntatem: est enim vis necè hypethetica.